

quid hic invenit, nisi quod hic abundat? Manducavit tecum, quod abundat in cella miseriæ tuæ. Acetum hic bibit, fel hic habuit. Ecce quid in cella tua invenit. Sed ad magnam mensam suam te invitavit, mensam cœli, mensam Angelorum, ubi ipse panis est. Descendens ergo et ista mala inveniens in cella tua, et non dedignatus est talem mensam tuam, et promisit tibi suam. Et quid nobis dicit? Credite, credite vos venturos ad bona mensæ meæ, quando non sum dedignatus mala mensæ vestræ. Malum tuum tulit, et bonum suum non dabit? utique dabit. Vitam suam promisit nobis: sed incredibilius est quod fecit. Mortem suam prærogavit nobis: tanquam diceret: Ad vitam meam vos invito, ubi nemo moritur, ubi vere vita beata est, ubi cibus non corrumpitur, ubi reficit et non deficit. Ecce quo vos invito, ad regionem Angelorum, ad amicitiam Patris et sancti Spiritus, ad cœnam sempiternam, ad fraternitatem meam; postremo ad me ipsum, ad vitam meam vos invito. Non vultis credere, quia dabo vobis vitam meam? Tenete pignus mortem meam. Modo ergo cum in ista carne corruptibili vivimus, morum mutatione cum Christo moriamur, amore justitiæ cum Christo vivamus: beatam vitam non accepturi, nisi cum ad illum venerimus, qui venit ad nos, et cum illo esse cœperimus, qui mortuus est pro nobis.

SERMO CCXXXII¹.*In diebus Paschalibus, III.*

De resurrectione Christi secundum Lucam.

I. RESURRECTIO Domini nostri Jesu Christi et hodie recitata est; sed de altero libro Evangelii, qui est secundum Lucam. Primo enim lecta est secundum Matthæum, hesterno autem die secundum Marcum, hodie secundum Lucam: sic habet ordo Evangelistarum. Sicut enim passio ipsius ab omnibus Evangelistis conscripta est, sic dies isti septem vel octo dant spatium, ut secundum omnes Evangelistas resurrectio Domini recitetur. Passio autem quia uno die legitur, non solet legi, nisi secundum Matthæum. Volueram aliquando, ut per singulos annos secundum omnes Evangelistas etiam passio legeretur: factum est; non audierunt homines quod consueverant, et perturbati sunt. Qui autem amat litteras Dei, et non vult esse semper idiota, omnia novit, et omnia diligenter inquirit. Sed sicut cuique Deus partitus est mensuram fidei, sic quisque proficit².

II. Nunc attendamus quod hodie, cum legeretur, audivimus: nam quod heri commendavi Charitati Vestræ, expressius hodie audivimus, infidelitatem Discipulorum: ut intelligamus quantum ejus beneficio nobis præstitum est, ut quod non vidimus, sic credamus. Vocavit eos, instru-

¹ Alias de Tempore 144. — ² Rom. xii, 3.

xit eos, vixit cum eis in terra, fecit ante eorum oculos tanta mirabilia usque ad mortuos suscitandos. Mortuos resuscitavit, carnem suam posse resuscitare non credebatur. Venerunt mulieres ad monumentum : corpus in monumento non invenerunt; resurrexisse Dominum ab Angelis audierunt : foeminae viris nuntiaverunt. Et quid scriptum est? quid audistis? « Visa sunt ista ante oculos » eorum quasi deliramenta¹. » Magna infelicitas conditionis humanae. Quando locuta est Eva quod dixerat serpens², audita est cito. Mulieri mentienti creditum est, ut moreremur : non est creditum foeminis vera dicentibus, ut viveremus. Si non erat credendum foeminis, quare Adam credidit Evæ? Si foeminis credendum, quare sanctis mulieribus non crediderunt Discipuli? Et ideo in hoc facto consideranda est benigna dispensatio Domini nostri. Nam hoc est quod egit Dominus Jesus Christus, ut prius illum sexus foemineus resurrexisse nuntiaret. Quia per sexum foemineum cecidit homo, per sexum foemineum reparatus est homo : quia virgo Christum pepererat, foemina resurrexisse nuntiabat. Per foeminam mors, per foeminam vita. Sed non crediderunt Discipuli ut dixerant foeminae : delirare putaverunt, quando tamen vera nuntiabant.

III. Ecce alii duo ambulabant in via, et loquebantur secum de his quæ acciderant in Jerusalem, de iniquitate Judæorum, de morte Christi : ambulabant fabulantes, et quasi mortuum dolentes, resurrexisse nescientes. Apparuit et ipsis, factus est tertius viator, miscuit cum eis amica colloquia. Oculi eorum tenebantur, ne agnoscerent eum. Oportebat enim, ut melius cor instrueretur : cognitio differtur : quærit ab eis quid inter se loquerentur, ut quod ipse sciebat illi faterentur. Et quod audistis, mirari ceperunt, quia de re clara et tam manifesta velut a nesciente

¹ Luc. xxiv, 11. — ² Gen. iii, 6.

interrogabantur. « Tu solus, inquiunt, peregrinus es in » Jerusalem, et nescis quæ ibi gesta sunt? » At ille dixit : « Quæ? De Jesu Nazareno, qui fuit propheta potens » factis et dictis¹. » Hoc est, o Discipuli? Propheta erat Christus, Dominus Prophetarum? Judici vestro nomen præconis imponitis. Ad alienorum verba devenerant. Quid est quod dixi, alienorum verba? Recolite, quando ipse Jesus ait Discipulis suis : « Quem me homines esse dicunt » Filium hominis? » Responderunt opiniones alienas. « Alii » dicunt quod Elias es, alii quia Joannes Baptista, alii » quia Jeremias, aut unus ex Prophetis. » Verba ista alienorum erant, non Discipulorum. Ecce ad ipsa verba Discipuli venerunt. « Nunc ergo vos quem me esse dicitis? » Respondistis mihi opiniones alienas, fidem vestram volo audire. Tunc ait Petrus, unus pro omnibus, quia unitas in omnibus : « Tu es Christus Filius Dei vivi. » Non quicumque unus ex Prophetis; sed Filius Dei vivi; adimpletor Prophetarum, creator et Angelorum. « Tu es Christus » Filius Dei vivi. » Audivit quod decuit illum audire ex hac voce, et tali voce. « Beatus es Simon Bar-Jona; quia » non tibi revelavit caro et sanguis, sed Pater meus qui » in coelis est. Et ego dico tibi : Tu es Petrus, et super » hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferorum non vincent eam. Tibi dabo claves regni cœlorum; et quæcumque solveris in terra, soluta erunt et » in coelo; et quæcumque ligaveris in terra, ligata erunt » et in coelo². » Fides hoc meruit audire, non homo. Nam ipse homo quid erat, nisi quod ait Psalmus : « Omnis homo » mendax³? »

IV. Denique continuo post hæc verba denunciavit illis passionem suam et mortem. Expavit Petrus, et ait : « Absit a te, Domine, non fiet istud. » Tunc Dominus : « Redi

¹ Luc. xxiv, 18, 19. — ² Matth. xvi, 13-19. — ³ Psal. cxv, 11.

verunt ipsi qui viderunt Christum mortuos suscitantem : credidit ille qui videbat secum in ligno pendentem. Quando illi titubaverunt, tunc ille credidit. Qualem fructum Christus de arido ligno percepit? Quid ei dixerit Dominus audiamus. « Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. » Tu differs te, ego agnosco te. Quando speraret latro, de latrocinio ad iudicem, de iudice ad crucem, de cruce ad paradysum? Denique ipse attendens merita sua, non dixit: Memento mei, ut liberer me hodie: sed, « Cum veneris » in regnum tuum, tunc mei memor esto; » ut si mihi tormenta debentur, vel quo usque veneris in regnum tuum. Et ille: Non sic: invasisti in regnum caelorum, vim fecisti, credidisti, rapuisti. « Hodie mecum eris in » paradiso. « Non te differo: tantae fidei hodie reddo quod debeo. Latro dicit: « Memento mei, cum veneris » in regnum tuum. » Non solum credebat resurrecturum, sed etiam regnaturum. Pendenti, crucifixo, cruento, haerenti: « Cum veneris, inquit, in regnum tuum: » Et illi, « Nos sperabamus. » Ubi spem latro invenit, Discipulus perdidit.

VII. Deinde jam, charissimi, magnum sacramentum quod cognovimus, audite. Ambulabat cum illis, suscipitur hospitio, panem frangit, et cognoscitur. Et nos non dicamus quia Christum non cognovimus: novimus si credimus. Parum est, novimus si credimus: habemus si credimus. Habebant illi Christum in convivio, nos intus in animo. Plus est Christum habere in corde, quam in domo. Cor enim nostrum interius nobis est, quam sit domus nostra. Jam vero ubi eum debet fidelis agnoscere? Agnoscit qui fidelis est: qui autem catechumenus est, ignorat. Sed januam contra illum nemo claudat, ut noverit.

VIII. Hesterno die monui¹, et admoneo Charitatem

¹ Vide in superiori Sermone CCXXXI, n. 2, 3.

Vestram, quia resurrectio Christi est in nobis, si bene vivamus; si vita vetus nostra mala moriatur, et quotidie nova proficiat. Abundant hic poenitentes: quando illis imponitur manus, fit ordo longissimus. Orate poenitentes, et eunt orare poenitentes. Discussio poenitentes, et invenio male viventes. Quomodo poenitet quod fit? Si poenitet, non fiat. Si autem fit, nomen errat, crimen manet. Aliqui ipsi sibi poenitentiae locum petierunt; aliqui excommunicati a nobis in poenitentiae locum redacti sunt: et qui sibi petierunt, hoc volunt facere quod faciebant; et qui a nobis excommunicati in poenitentiae locum redacti sunt, nolunt inde surgere, quasi electus sit locus poenitentium. Qui debet esse locus humilitatis, fit locus iniquitatis. Vobis dico, qui vocamini poenitentes, et non estis: vobis dico. Quid vobis dicam? Laudo vos, in hoc non laudo: sed gemo et plango. Et quid faciam, factus vile canticum? Mutamini, mutamini, rogo. Vitae finis, incertus est. Omnis homo cum casu suo ambulat. Quid differtis bene vivere, cum putatis, quia longa erit vita? Longam vitam putatis, et mortem subitanam non timetis? Sed ecce longa sit: et quaero unum poenitentem, et non invenio¹. Quanto melius longa bona, quam mala vita erit? Longam coenam malam nemo ferre, longam vitam malam omnes volunt habere. Utique si grande est quod vivimus, bonum sit ipsum grande. Quid enim vis mali, dic mihi, in omnibus tuis actibus, cogitationibus, cupiditatibus? Terram malam non vis, segetem malam non vis utique, sed bonam; arborem bonam, equum bonum, servum bonum, amicum bonum, filium bonum, uxorem bonam. Et quid haec magna commemoro? quandoquidem vestem ipsam malam non vis habere, sed bonam; caligam postremo ipsam non vis nisi bonam? Aut da mihi aliquid te velle quod ma-

¹ Vide Ser. LXXII, n. 5, et Ser. LXXXII, n. 14.

lum est, nec te velle aliquid bonum. Puto, villam malam non vis, sed bonam; solam animam malam vis? Quid te offendisti? Quid de te male tu ipse meruisti? Inter bona tua non vis esse malum, nisi te solum. Putate quia dico quod soleo, et facitis quod soletis. Ego coram Deo excutio vestimenta mea. Timeo ne mihi imputetur, quia non dico. Officium meum impleo, fructum vestrum quæro, de bonis operibus vestris gaudium habere volo, non pecuniam. Non enim qui bene vivit, divitem me facit. Et tamen bene vivat, et facit. Divitiæ meæ non nisi spes vestra est in Christo. Gaudium meum, solatium meum, et respiramentum periculorum meorum in his tentationibus nullum est, nisi bona vita vestra. Obsecro vos, fratres, si oblitus estis vestri, miseremini mei.

SERMO CCXXXIII¹.

In diebus Paschalibus, IV.

De resurrectione Christi secundum Marcum.

I. AUDISTIS lectionem sancti Evangelii de resurrectione Christi. In resurrectione Christi constabilita est fides nostra. Passionem Christi et Pagani et impii et Judæi crediderunt: resurrectionem non nisi Christiani. Passio Christi significat miserias hujus vitæ; resurrectio Christi ostendit beatitudinem futuræ vitæ. In præsentī laboremus: in futura speremus. Modo tempus est operis: tunc mercedis.

¹ Alias de Diversis 86.

Qui piger est in exhibendo opere, impudens est in exigenda mercede. Audistis quid dixerit Discipulis suis post resurrectionem. Misit eos ad Evangelium prædicandum, et factum est: prædicatum est Evangelium, pervenit ad nos. Et ecce, « In omnem terram exiit sonus eorum, et » in fines orbis terræ verba eorum¹. « Ambulando et ambulando, Evangelium pervenit ad nos, et ad fines terræ. Breviter constituit nobis, loquens Discipulis suis, quid faciamus, quid speremus. Ait enim, sicut audistis quando loquebatur: « Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus » erit². » Exigitur a nobis fides, offertur salus: « Qui » crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit. » Pretiosum est quod nobis promittitur, gratis fit quod jubetur.

II. « Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit. » Quid enim? qui hæc audiebant, salvi non erant? Nonne multi salvi credunt, salvi sunt et antequam credant? Salvi plane: sed vana salus hominum. Qualis est ista salus hominum. Qualis est ista salus, quæ tibi cum jumento tuo communis est? Verumtamen ipsa unde, nisi ab illo, de quo scriptum est: « Homines et jumenta salvos facies, » Domine³? » Et addidit: « Secundum multitudinem » misericordiæ tuæ, Deus. » Tanta est enim multitudo misericordiæ tuæ, ut veniat a te salus in istam carnem mortalem hominum, veniat et ad carnem pecorum. Hæc est multitudo misericordiæ tuæ. Filiis tuis quid? Ecce « Homines et jumenta salvos facies, Domine. » Nihil nobis amplius? Quod hominibus quibuscumque, quod pecoribus, hoc præstatur et nobis? Non plane hoc. Sed quid? Audi: « Filii autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt: inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, » et torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te » est fons vitæ⁴. » Christus est fons vitæ. Habebamus sa-

¹ Psal. xviii, 5. — ² Marc. xvi, 16. — ³ Psal. lxx, 13. — ⁴ Id. xxxv, 7, etc.

lutem cum jumentis, quo usque veniret ad nos fons vitæ : fons vitæ venit ad nos, et fons vitæ mortuus est propter nos. Negabit vitam suam, qui nobis erogavit mortem suam? Ipsa est salus, quæ non est vana. Quare? Quia non transit.

III. Bene animadvertenda est ista distinctio : « Homi- » nes et jumenta salvos facies, Domine : Homines, » pertinentes ad hominem. « Filii autem hominum, » pertinentes ad filium hominis, « Sub tegmine alarum tuarum » sperabunt. » Constituite vobis ante oculos duos homines. Erigite fidem, evigilet cor vestrum : recordamini hominem, in quo decepti sumus : recordamini hominem, a quo redempti sumus. Ille homo numquid filius hominis? Adam homo erat, filius hominis non erat. Ideo Dominus Christus assidue se dicit filium hominis, ut faciat nos recordari hominem, qui non fuit filius hominis : ut recordemur in illo mortem, in isto vitam; in illo peccatum, in isto remissionem peccatorum; in illo vinculum, in isto libertatem; in illo damnationem, in isto absolutionem. Duo ergo isti homines significati sunt in his verbis : « Homines et jumenta salvos facies, Domine. Ho- » mines, » pertinentes ad hominem : « Et jumenta, » simul cum jumentis eos « salvos facies. » Homo enim in honore positus non intellexit, sicut scriptum est : « Homo » in honore positus non intellexit, comparatus est jumentis insensatis, et similis factus est eis¹. » Propterea, » Homines et jumenta, » quibus similes facti sunt homines, quia non intellexerunt, et eis quibus dominari creati sunt, comparati sunt, « Salvos facies. »

IV. Numquid ipsa est salus, de qua dictum est : « Qui » crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit? » Alia est illa salus, longe alia. Angeli hanc habent : nolite eam

¹ Psal. XLVIII, 13.

quærere in terra. Magna est, sed non est hic. Non est ista res de ista regione, non est hic talis salus. Sursum cor. Quid hic quæris in terra salutem hanc? Ipsa salus huc venit, et mortem nostram hic invenit. Numquid Dominus noster Jesus Christus, quando venit ad nos in carne, invenit hic salutem istam in regione nostra? Magnum quid huc attulit mercator iste de regione sua veniens : mercator iste invenit in regione nostra quod hic abundat¹. Quid hic abundat? Nasci et mori. Plena est terra his mercibus, nasci et mori. Natus est, et mortuus est. Sed qua via natus est? Ad istam regionem venit, sed non ea via qua et nos venit. De cœlo enim venit a Patre. Et tamen natus est mortalis. Natus est de Spiritu sancto ex virgine Maria. Numquid nos sic de Adam et Eva? Nos per concupiscentiam carnis, ille autem non per ipsam. Maria enim virgo sine virili amplexu, sine concupiscentiæ æstu; quoniam ne pateretur hunc æstum, ideo ei dictum est : « Spiritus » sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit » te². » Virgo ergo Maria non concubuit, et concepit : sed credidit et concepit. Natus est enim mortalis mortalibus. Quare mortalis? Quia in similitudine carnis peccati³ : non in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati. Quid habet caro peccati? Mortem et peccatum. Quid habuit similitudo carnis peccati? Mortem sine peccato. Si haberet peccatum, caro esset peccati : si mortem non haberet, non esset similitudo carnis peccati. Talis venit, Salvator venit : mortuus est, sed mortem occidit : finivit in se quam timebamus; suscepit illam, et occidit illam; quomodo summus venator leonem cepit, et necavit.

V. Ubi est mors? Quære in Christo, jam non est : sed fuit, et mortua est ibi. O vita mors mortis? Bono animo

¹ Florus ad Rom. VIII. — ² Luc. 1, 35. — ³ Rom. VII, 3.

estote, morietur et in nobis. Quod præcessit in capite, reddetur in membris : morietur et in nobis mors. Sed quando? In fine sæculi, in resurrectione mortuorum, quam credimus, et de qua non dubitamus. « Qui enim » crediderit, et baptizatus fuerit, ipse salvus erit. » Sequere quod timeas : « Qui autem non crediderit, condemnabitur. » Ergo mors morietur in nobis, victura est in damnatis. Ubi mors nesciet mortem, sempiterna mors erit : quia æterna tormenta erunt. In nobis morietur, et non erit. Vultis nosse? Dico vobis pauca verba triumphantium, ut habeatis quod meditemini, quod corde cantetis, quod toto animo speretis, quod fide et bono opere requiratis. Audite verba triumphantium, quando non erit mors : quando et in nobis, sicut in capite nostro, morietur mors. Paulus apostolus dicit : « Oportet corruptibile hoc » induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem. Tunc fiet sermo qui scriptus est : Absorpta » est mors in victoriam. » Dixi vobis quia morietur mors in nobis : « Absorpta est mors in victoriam. » Ista est mors mortis. Absorbebitur, ut non appareat. Quid est, ut non appareat? Ut non sit, nec intus, nec foris. « Absorpta est » mors in victoriam. » Gaudeant triumphantes; gaudeant, dicant quod sequitur : « Ubi est, mors, victoria tua? Ubi » est, mors, aculeus tuus? » Ubi est? Cœpisti, possedisti, vicisti, et tibi addixisti; percussisti, et occidisti; « Ubi est, mors, victoria tua? Ubi est, mors, aculeus » tuus? » Nonne confregit illum Dominus meus? O mors, quando Domino meo hæsisisti, tunc et mihi peristi. Ita salute « Salvus erit, qui crediderit, et baptizatus fuerit. Qui » autem non crediderit, condemnabitur. » Fugite condemnationem, amate et sperate salutem æternam.

¹ 1 Cor. xv, 53-55.

SERMO CCXXXIV¹.

In diebus Paschalibus, V.

De resurrectione Christi secundum Lucam.

I. RESURRECTIO Domini secundum omnes quatuor Evangelistas legitur his diebus. Ideo enim necessarium est, ut legantur omnes, quia singuli non dixerunt omnia; sed quæ alius prætermisit, alius dixit : et quodam modo sibi dederunt locum omnes, ut necessarii essent omnes. Marcus evangelista, cujus hesterno die Evangelium recitatum est, breviter dixit quod Lucas uberius prosecutus est, de duobus quibusdam Discipulis, qui non erant de numero quidem duodecim, sed tamen Discipuli erant : quibus iter agentibus Dominus apparuit, et cum eis ambulavit. Ille enim tantummodo dixit, quia apparuit duobus iter agentibus : iste vero evangelista Lucas, et quid illis dixerit, et quid eis responderit, et quo usque cum eis ambulaverit, et quomodo eum in panis fractione cognoverint; omnia hæc dixit, sicut audivimus.

II. Quid ergo, fratres, quid hic discutimus? Ædificamur ad credendum surrexisse Dominum Christum. Jam credebamus quando Evangelium audivimus, et in hanc ecclesiam hodie credentes ingressi sumus : et tamen nescio quomodo cum gaudio auditur, quod memoria renovatur. Quomodo vultis lætificetur cor nostrum quando videmur

¹ Alias de Diversis 87.